

COMPARATIO HISTORICA
GUSTAVI I. REGIS SUECIÆ
CUM
HENRICO VII. ANGLIÆ REGE.

~~~~~  
QUAM  
CONS. AMPL. FAC. PHILOS. REG. ACAD. AB.  
PRÆSIDE  
*FRANCISCO M. FRANZÉN,*  
*Hist. & Mor. Prof. Reg. & Ord.*

PRO GRADU  
PUBLICÉ DEFENDET  
*GABRIEL HIRN,*  
*Stipend. Bilmark. Tavastensis.*

In Aedibus Scholæ Cathedr. die xxv Junii MDCCCV.  
h. a. m. f.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO  
MAXIME REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO  
ECCLESIÆ IN JANACKALA PASTORI  
CONTRACTUSQUE ADJACENTIS PRÆPOSITO  
MERITISSIMO  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO  
DOMINO

DANIEL HIRN.

PATER INDULGENTISSIME !

*Lætam Musarum, quas ipse ad Auram olim coluisti,  
memoriam, tua utinam! cura digni tibi renouent conatus*

*Fili obsequentissimi*  
GABRIELIS HIRN.



## PROOEMIUM.

---

In comparandis iis, quæ similia videntur, multum quidem haud raro vel ab ingenii fere arbitrio, vel a fortuita quadam idearum associatione pendet. De rebus præsertim moralibus & individuis, quæ neque describi possunt & coram oculis quasi exhiberi, neque notis, quibus genera ac species continentur, definiri, vaga & incerta esse solent sensus & phantasæ judicia. Atque si contrariæ sæpiissime sunt opiniones de similitudine facierum duarum: quid mirum si de animis, quarum imagines hæ sint, omnes haud facile consentiant? Ita tamen & svaves & utiles sunt comparationes clarorum in primis virorum, si unum alteri opponendo, observandoque & quo convenient, & quo differant, utriusque propria vel vitia vel laudes clarius intelligantur, justius æstimentur. De qua re quis dubitet, qui Plutarchi legerit vitas parallelas? Quem vero imitari pauci tentarunt, pau-

A

cio-

ciores in imitando felices. Quod non ingenio tan-  
tum & arti scriptoris illius felicissimi, sed indoli etiam  
historiarum, quas descripsit, quodammodo attribuen-  
dum est. Qualem enim seriem locorum duas com-  
parandi gentes, inter ceteras eminentes, antiqua exhi-  
buit historia, simplicitate sua clarior quasi & gran-  
dior: talem recentior vix præbet, varietate sua con-  
fusior fere & difficilior. Sparsim tamen & hæc æ-  
quiparanda offert cum temporum momenta, tum ho-  
minum ingenia ac facta. Nec inutile forte sit ex iis,  
quæ jam in Europa florent gentibus, duarum, vel ob-  
viciniam perpetuamque inter se contentionem & æ-  
mulationem, connexis quasi fatis, et si dissimilibus in-  
geniis, progredientium, vel genere, indole, moribus  
& commutationibus aliquo modo similium, paralle-  
lam instituere historiam. Sic uno respectu, Gallica  
gens cum Britannica comparanda cui non placeat?  
Altero autem, Svecanam historiam cum Anglica con-  
ferendi multæ videntur esse rationes. Nam ut co-  
gnationem taceamus utriusque gentis, ingenia mo-  
resque earum, antiquiori præsertim ævo, magnam  
habuere similitudinem: hodie quidem ob differentiam  
culturæ atque politicæ in primis conditionis, cum in-  
ternæ, tum externæ, non satis conspicuam. Neque  
civiles earum commutationes momentis carent, qui-  
bus una civitas cum altera contendatur. Inter hæc,  
ne in ceteris (sive v. c. Heptarchiæ Anglicæ, qui cum  
primordiis Monarchiæ Svecanæ conferatur) indican-  
dis moremur, Angliæ cum Gallia, & Sveciæ cum

Da-

Dania conjunctio a), quam in utraque civitate intes-  
tinae secutæ sunt rerum perturbationes, eo memora-  
bilis est, quod cessante illa, nova, quæ incepit utri-  
usque gentis æra, non tempora tantum commutata,  
sed ingenia etiam, quæ ea commutarunt, virorum  
admiranda similitudine insignium, comparanda exhi-  
beat. Gustavum intelligas, bujus nominis primum,  
Sveciæ regem, & Henricum septimum, Angliæ prin-  
cipem. Quorum vitas parallelas Plutarehica perscri-  
bere ratione, felicis eujusdam ingenii dignum sit o-  
pera & arte. Nos vero, ne tantum opus juvenili  
audacia inepte moliri videamur, non nisi momenta  
quædam præcipua comparationis recensere institui-  
mus. Primum autem fata, deinde gubernationem,  
tum mores atque ingenium utriusque regis paucis  
adtingemus.

A 2

§. I.

- a) Ne te offendat, in uno exemplo quod *Egberti & In-*  
*gialdi* dissimillima fuerint & ingenia & facta, in altero  
autem quod Angli Galliam armis occupaverint, Svecia  
vero cum Dania foedera conjuncta fuerit. Frustra enim  
ullam tentes comparationem historicam, si omnia simi-  
lia quæras. Tempora contendi possunt, et si res  
geste earumque auctores maxime distulerint, hi vero  
et si illa fuerint diversa. Ne in his quidem conferendis,  
nimiam invenire similitudinem anxie studeas: cum non  
hæc sola, sed etiam differentia rationem præbeat compa-  
randi & s<sup>r</sup>avissimam & utilissimam: quod in Plutarche  
frequenter observamus.

Patriam sævisima oppressam tyrannide, postquam civilibus lacerata esset bellis, uterque exsul dolebat: *Gustavus Vasa* in Daniam perfide ablatus: *Comes Richmond* in Armoricanam (sive Britanniam Gallorum) amice receptus. Cæsis nempe plurimis principum & nobilium, uterque & partium, quibus genere animoque erat annexus, ille Sturonicarum, hic Lancastriensium, & patriæ, civium inundatæ sangvine, ultimam servavit spem & fiduciam. Sed ut *Gustavus*, ex iusta in Dania effugiens captivitate, Lubecensem contra Christianum petiit auxilium: sic *Henricus*, in aula Dueis Armoriceæ a dolis *Richardi* (Regni scilicet Anglii usurpatoris) hand tutus, ad Regem Galliæ confugit: uterque falsa occultus veste, per avia & incognita loca pedibus proficisciens, casibusque prorsus singularibus ex imminenti evadens periculo b). Ille quidem plures deinde magisque adhuc mirandos in Dalecarlia sustinuit labores: sed huic quoque fortuna, (quæ præterea olim jam ab insidiis Regis Edwardi IV:ti eum liberaverat), ante proelium apud *Bosworth*, quo *Richardus* victus & imperfectus est, satis magno quasi illudebat periculo: cum scilicet, via perdita, solus per totam erraret noctem, in vicino tandem quiescens hostibus circumdato, donec dies

---

b) Quod Henicum spectat, vide apud RAPIN THOYRAS (*Histoire d'Angleterre* T. III. L. XIII. p. 563).

dies illucescens ad exercitum suum, vehementer jam de eo sollicitum, felici eum reduceret forte. Utrumque igitur divina quasi nemesis, ut tyrannum puniret æque perfidum ac crudeleum, per insolita conduxit discrimina rerum. Quibus tam fortiter, quam prudenter superatis uterque id meruit, ut, quam servaverat, etiam gubernaret rem publicam: Gustavus a populo libere electus, saepiusque rogatus; Henricus jure quodam hæreditario, et si ambiguo <sup>c)</sup>, ipse regnum occupans. Uterque deinde perpetuis agitatum proditionibus & rebelliis, firma tamen manu tenuit sceptrum. Uterque nemppe, & rex factus olim æqualium, & familiam populo dilectissimam, in Svecia Sturopicam, in Anglia Eboracensem (sive Yorkianam) ex folio excludens, cum procerum excitavit invidiam, tum multitudinis concitandæ plausibilem dedit rationem. In utrumque autem non optimates tantum, ad perturbandam rem publicam opibus suis abusi, sed e vilissima etiam plebe despicatisimi homines, vel falsis induiti personis, vel impudentissimo ore omnia ausi, in Svecia *Johannes* (sive *Jöns*) & *Dacke*, in Anglia *Lambertus Simnel* & *Perkin* (sive *Petrus Varbeck*), periculosa conflagrunt seditiones, a vicinis quoque regibus auætas & promotas. Utrumque præterea ii ipsi infestarunt, quibus, & aſſinitate ſibi conjunctis, & favore ſuo uis, maxime confidere debuiffet. Ut in Gustavum amitæ ſuæ mar-

ritus Thuro Johannis Roos: sic in Henricum socera sua Elisabeth Woodville, Regis Edvardi IV vidua, infensissimo moliebatur animo; atque ut illum, inter ceteros, quos beneficijs ornaverat, Bernhardus de Melen & Johannes de Hoya, quorum uni consobrinam, alteri sororem suam in matrimonium dederat, quin immo ipse Olaus Petri, prodiderunt: sic hunc Guilielmus Stanley perfide deseruit, quem, vitrici sui fratre, in occupando regno præcipuum habuerat ministerum. Utriusque tamen singularis prudentia, constantia, & cum justa severitate opportune conjuncta indulgentia omnia frustravit molimina & machinationes reipublicæ perturbatorum, tranquillumque deum ac potentissimum regnum, quod insignibus ornauerat virtutibus & factis, suæ tradidit stirpi, novæ Dynastiæ auctor,

## §. II.

Quod deinde gubernandi consilia & artes spectat, unum erat utriusque consilium; scilicet, ut longis factionum contentionibus, alternata dominatione caedibus & rapinis omnia foede impletum, conyulfam, exhaustam & fere dissolutam rempublicam, in novam restauraret vitam, internas ejus vires firmando & constringendo. In quem finem easdem fere adhibentes artes, primum diversas sibi conciliare factiones studuerunt. Gustavus nempe, egregiam proxime defuncti omnibusque deplorati Sturonis

viduam liberosque, nec non infestissimi adversarii sui *Thuronis Roos* filios, duos saltem, quorum unum illa nupserat, cum virtutibus suis, tum officiis sibi devinxit: universum autem nobilium ordinem, restituendo illis bona majorum, ecclesiæ donata, scienter captavit. Sacerdotum quidem proceres, Hierarchiam oppugnando, læsit: sed plurimos tamen ex ipsa ecclesiasticorum cohorte, reformata religione, in suas transtulit partes. Ceteram vero civium multitudinem justa coercuit auctoritate, regia cepit virtute, beneficia obstrinxit cura. Similiter fere *Henricus*, *Elisabetham*, filiam *Regis Edvardi IV*, in matrimonium ducendo, albam & rubram connexit *Rosam*, ita sactionum *Eboracensis* & *Laneastrianae* foedas finituras pugnas. Mox universam promulgans amnestiam, punitis tantum præcipuis quibusdam ministris immanis quem dejecerat Tyranni <sup>d)</sup>, justa & diligenti

<sup>d)</sup> Acerbe ob hoc, ut ob plura alia, *Henricum* reprehendit *Hume* l. c. Cap. 24. "How men could be guilty of treason, inquit, by supporting the Kings possession against the earl of Richmond, who assumed not the title of King, it is not easy to conceive". Quibus autem artibus Rex factus erat *Richardus*, & quo jure? Estne quiunque regni usurpator, si vel totam familiam regiam, ut solium occuparet, occiderit, contra liberatorem patriæ defendendus? Nonne priuera *Henricus*, cum jam rex constitutus esset, & suæ & civium securitati id debuit, ut præcipuos tolleret tyranni affectas, novas haud dubio concitatueros perturbationes?

ti administratione ceterum compescere populum insti-  
tuebat. Uterque tamen frustraneam fore omnem  
suam operam perswasus, nisi Regia increaseret &  
constaret auctoritas, duobus præcipue modis eam  
auxit & stabilivit: optimatum scilicet diminuendo o-  
pes, publicumque ditando ærarium. Sveciæ igitur  
rex, ut Episcoporum in primis tolleret dominium, re-  
ligionis simul reformator, totam mutavit ecclesiæ  
constitutionem; Angliae vero princeps, nobilium de-  
primere ordinem præcipue annitens, Baronibus pro-  
hibuit, ne præter famulos domesticos multitudinem  
asseclarum suis ornarent insignibus: periculosa scilicet  
tali clientum cohorte, & arma pro illis in sedi-  
tionibus gerente & testimonia in judiciis dicente, sibi  
munierant potentiam. Quam deinde alia quoque le-  
ge, & ipsis & populo grata, lentius sed gravius labefac-  
tavit: permittens scilicet illis, ut patrias plebejis  
alienarent terras. Uterque autem, ne a procerum  
penderet arrogantia, ex inferiori loco ministros ele-  
git consiliorum suorum, clericos præsertim: inter  
quos *Johannes Morton* & *Richardus Fox*, quibus  
*Henricus* usus est, cum *Laurentio* & *Olae Petri*, nec  
non *Laurentio Andreæ*, quos *Gustavus* adhibuit, mul-  
tis comparari possint nominibus. Ærarium autem,  
eujus indigna paupertas privatæ opulentiae insolentem  
auxerat dominandi cupidinem, locupletare &  
*Gustavus* & *Henricus* omni laborarunt studio: ille  
reditus ac prædia fæceralotibus & monasteriis profusa,  
civitati vindicando, hic, cum publica repetendo  
bo.

bona, nobilibus, iis præcipue, qui Eboracensi additi fuerant familiae, olim ab alienata, tum, res eorum qui proditionis vel alius criminis publici convicti essent, non, ut antea factum erat, privatis spoliandas relinquendo, sed in publicos confiscando usus; uterque autem & vestigalia diligentissime administrando, & civium augendo opulentiam. Uterque nempe non securitatem tantum, diu desideratam *e*), sed industriam quoque, in agris, opificiis & commerciis colendis, novam omnino eo tempore, & legibus ac consiliis, & foederibus cum exteris, & adhortationibus ac proemiis, immo publicis pecuniarum subsidiis efficere ac promovere studuit. Quod vero ad proximum, in quem intendebant, finem, internum scilicet civitatis robur, obtinendum maxime erat necessarium, ab utroque intestina legum firmata est auctoritas paxque cum exteris sollerter servata. Illam, suæ quoque obedientiae insigni exemplo facrarunt & Gustavus, cum e. c. in comitis Arosiae 1527 habitis populum faceret gubernationis suæ judicem *f*), & Henricus, cum e. gr. interdictio-

B

nem

- e*) Laws were passed in this reign, ordaining the King's suit for murder to be carried on within a year and day. Sheriffs were no longer allowed to fine persons, without previously summoning them before their court &c. *Hume* l. c. c. 26.
- f*) Praeclarum est illud quoque factum Gustavi, cum haereditatem Stenonis Sturonis natu majoris, sibi ex jure restituendam, ante non adiret, quam senatus, nulla obstrictus

nem in amicos & sectatores suos, regnante Richardo promulgatam, a Parlamento, cuius membra multi eorum ipsi erant, abrogari antea non sineret, quam hi ex illius exierint coetu; praterquam quod juris omnibus dicendi civibus ab utroque nova adhibita est cura & diligentia. Pacis vero non rumpendæ consilium, vel cum justissima esset belli gerendi causa, populusque ipse illud rogaret, singulari uterque tenebat constantia: vanæ gloriolæ auræque populari publicam præferens salutem. Demum tamen arma capere coacti, Gustavus ut Livoniam contra Russos, Henricus, ut Armorican contra Gallos defenderet, non nisi pacem ipso bello quæsierunt, quam primum illam firmam obtinerent, hoc statim finituri. Uterque verbo novam constituit rempublicam: & quam morientem fere acceperat civitatem, eam læta vi gentem valetudine, viribusque quam unquam habuerat majoribus utentem, posteris reliquit: uterque id meritus, ut a suo nomine nova inciperetur historiæ patriæ æra.

## §. III.

---

regis auctoritate, illam ei adjudicasset. Æque integra haud erat Henrici in simili easu virtus. "Jusititia, inquit Baco de Verulanio (in fine Historiæ regni Henr. VII) temporibus suis recte & æquabiliter administrata fuit; praterquam cum Rex in lite pars esset; praterquam etiam quod consilium privatum Regis communibus causis circa meum & tuum se nimis immisceret. Enimvero in illa justitiæ parte, que fixa est & tanquam in ære incisa (hoc est prudentia legislatoria), profus excelluit".

## §. III.

Mores denique animique dotes in magnis hisce viris suam quoque habent similitudinem. Ut ob easdem virtutes, rege dignissimas populoque utilissimas, quibus scilicet publicæ salutis & prudens & constans & assiduum studium continetur, neminis non obtinere laudem, Henricus Salomon Anglorum vulgo appellatus *g*), Gustavus supra omnem comparationem

B 2

a

*g*) The reign of Henry VII. was in the main fortunate for his people at home and honourable abroad: testatur HUMIUS (l. c. C. 26.) severus alias ejus reprehensor, non tamen adeo injustus ac RAPIN THOYRAS (l. c. pag. 525). Aequius judicant, praeter Baconem, recentiorum plurimi: non ex liberalitate vel alia quadam privati hominis virtute regem judicantes, neque ob injuriam, uni vel alteri civium illatam, ejus obliviousentes quod tota civitas liberatori & restauratori suo debuerit debeatque. Inter ceteros auctor anonymous libri adamati: *An History of England in a series of letters from a Nobleman to his son*, quem alii illustrissimo Chesterfield alii clar. Goldsmithio tribuunt, hoc de Henrico fert judicium, historiam ejus incipiturus: (litt. 27. vol. 1.) "You are now to behold one of the greatest revolutions, that ever was brought about in any kingdom, effected by the prudence, clemency and perseverance of one great prince: a nation of tumult reduced to civil subordination; an insolent and factious aristocracy humbled: wise laws enacted: commerce restored: and the peaceful arts rendered amiable to a people, for whom before war only had charms. In a word you are now to turn to a period where the

a quibusdam elatus h) sic eorundem quoque vitiorum  
 a nonnullis accusati sunt, avari nempe, imbellis &  
 in placabilis animi. Parsimonia autem in Rege, qui  
 non sibi sed civitati colligit, vix reprehendenda est,  
 si in iustitia caret: in Henrico tamen, ab omni haud  
 liberando culpa, fordidior lucri cupido jure vituper-  
 ratur i). Bellicae vero virtutis, cum tempus juberet,  
 uterque indubia praestitit documenta: Gustavus v. c.  
 in oppugnatione Calmariæ, Henricus in pugna ad  
 Bosworth. Quod de Henrico monet Baco: "prima  
 quan-

whole goverment seems to put on a new form: and to view the actions of a King, if not the greatest, at least the most useful that ever sat upon the British or any other throne". Addit postea: "Since the times of Alfred, England has not seen such another King. He rendered his subjects powerful and happy, and wrought a greater change in his Kingdom, than it was possible to expect could be effected in so a short a time."

- h) Voila quel a été ce fameux Gustave, qui a delivré sa Patrie du Jong des étrangers et de la Tyrannie des Ecclésiastiques; qui a rendu la Suede formidable à tous ses ennemis: et qui selon moi a été sans contredit le plus grand homme, qu'ait produit l'univers. *Lettres Chinoises* T. IV. p. 115.
- i) Cfr. notam (f). Ipsi tamen omnis suo nomine facta iuria non esse tribuenda videtur. Nimis scilicet Ministris posterioris sui regni Empsono & Dudley confusus est: qui ut avaritiæ regis satisfacerent, simulque se ditarrent, pecunias undique excutiebant: specie iustitiae ipsum forte decipientes.

quandoque pugnæ per duces suos transegit, cum ipse ad supprias ferendas præsto esset: sed aliquam belli partem semper ipse attigit": idem fere de Gustavo valet *k*). Ceterum in omni eorum vita animus appareret haud timidus, sed sui semper consilii libere sibi conscientius, fortiterque tenax, qui multo magis ad magnum pertinet virum, quam juvenilis pugnandi fervor laudisque momentaneæ vulgaris cupidio. Se- veritatem denique utriusque in puniendis proditoribus, quorum alter alteri perpetuo succedebat, neces- fario adhibendam, tanta mitigavit indulgentia, ut si major fuerit, vituperanda esset. Henricus quidem omni in eos, qui Eboracenium fuerant partium, haud carens similitate, non tamen quærebat nisi bona eo- rum, vitam plerumque vel seditiosis remittens. "Di- plomata generalia, inquit Baco, quæ gratiam præte- ritorum rebellibus faciebant, perpetuo arma sua & præibant & sequebantur". Quin ipsum Simnelum a se captum, non modo vivere passus est, sed etiam in aula sua culinæ famulum fecit; neque Perkinum, nisi re- petita ejus fraude, morti dedit: saevior tamen in principem regii sangvinis comitem de Warwick, ulti- mum Plantagenistarum. Cujus nempe captivitas &

tru-

*k*) Similiter, quod de Henrico judicat HUME (l. c.), de Gu- stavo dictum esse videtur: "He loved peace without fe- aring war: though agitated with continual suspicions of his servants and ministers, he discovered no timidity, either in the conduct of his affairs, or in the day of battle".

trucidatio eandem fere super imaginem Henrici fundit umbram, quam in Gustavi memoriam principatum filiis distributio. Ut vero hæc in patre excusat, sic illa in rege, civilia finituro bella, necessaria forte erat actio. Ceterum suspicacior fuit uterque, neque tamen mox infensus & vindictæ cupidus; consilia aliorum quæsivit, patiens libertatis eorum, omnia tamen ipse sua decernens sententia: magnificentiam cum parcimonia, affabilitatem blandamque eloquentiam cum dignitate, quæ non reverentiam modo, sed metum excitabat, mire conciliavit. Negotiis totus deditus, omnes tamen non sprevit voluptates: pulchras quoque æstimandi res peritus, neque litterarum ignarus, aut contemtor. "Erga liberos suos paterno plenus affectu, magnam suscepit curam de iis optime educandis: ad hoc etiam adspirans, ut conditiones eis dignas & sublimes procuraret" 1).

Quod ad dotes animi attinet: major in utroque observata est sagacitas & vigilancia præsentes superandi difficultates quam futuras longe prævidendi: in Henrico autem ad politicam astutiam, in Gustavo ad privatam honestatem propior prudentia. Illius quidem dexteritas in confundendis adversariis superior forte erat, hujus vero in reformanda ecclesia admirabilior. Neque tam sublinia & audacia affectantis,

quam

1) Verba hæc sunt Baconis de Henrico. Vide totam hujus picturam in fine citati libri.

quam justi & constantis viri fortitudo in utroque estimanda esse videtur. In Gustavo tamen, qui solus tantam inciperet rem, grandior & excelsior elucet animus: quo, primisque suis patriam liberandi conatibus, poëticæ fere fictionis speciem præ se ferentibus, Alfredo, magno illi Anglorum regi, similior forte habendus est. Neque unquam Henricus tanta inter populum suum eminuit dignitate, quanta Gustavus, in comitiis plerisque, vel cum regno se abdicare vellet: solo suo vultu seditione repellere consilia non semel visus. Quod si vel dubites, quem majorem habeas regem, heroem certe & hominem hunc censemus majorem.

In domestica quoque vita amabilior videtur & felicior Gustavus. Cujus tamen primum conjugium non lætius fuit quam Henrici unicum: qui cum uxorem perdidisset, quam non amaverat, novam electurus sponsam, letifero implicitus est morbo: in morte quoque illo inferior. Gustavus nempe, cum solenne illud in comitiis, Holmiæ 1560 habitis, populo suo dixisset vale, quod nullus alijs rex dixit vel dicere potuit, excelsior quam umquam e vita exiit: Henricus autem morsibus conscientiæ, se iniquitatis & avaritiae accusantis, afflicitus, quasque vivens fecerat injurias, moriens reparaturus, non jam principem admirandum, sed miserandum sistit mortalem. Cujus tamen infelicitatis humanae neque Gustavus exfors erat: nam & ille extrema demum vita exprobante sibi confessionario suo nimiam pecuniæ collig-

gendaæ anxietatem, rigorem remisit quo publicas fieri jusslerat exactiones. Miram scilicet inter utrumque similitudinem in decestu quoque observari fors voluisse videtur. Disimilis autem, quam post mortem obtinuere laudis, præter mores Gustavi humaniores, splendidiora facta, probatiorem virtutem, hæ præcipuae fuisse videntur caussæ: primum quod Henricus nobilium læserit ordinem, cuius tamen & in civitate & in historia manebat auctoritas, Gustavus autem Catholicam oppugnans hierarchiam, eam totam sustulerit; deinde quod illius regnum gloriose præcesserint Anglorum in Gallia victoriæ, quas ut renovare studeret, populus ipse eum frustra hortabatur; hujus vero imperium ab inveterabili exterorum jugo cives liberaverit, nil magis horrentes, quam novam Sveciæ cum Dania contentionem.

